

10  
10  
10

Mat. 10.



EXTRACTUS VARIII,

Sive

LIBELLUS

De

Institutione sive Origine, ac Progressu  
Clericalis aut Leviticæ & Sacerdotalis Vitæ,  
sub Apostolico communis vitæ Canone,


vel ut vulgò dicitur

CANONICORUM  
REGULARIUM.

*Fussu Reverendiss. Patris Generalis  
Canonicorum Regularium Congregationis Windesemensis  
pro Sacri sui Lateranensis Ordinis Clypeo, ex sacris Scripturis  
ac antiquis Conciliis extractus & compositus,*

*Ejusdemq; Autoritate*

Excusus Colonæ.



Typis CORNELII CÔNEN, sub Semilunio propè Tesseræ Portam.  
M. DC. XCIX.

EX TRACTIS VARIIS

DE VITA LIBELLUS

LIBELLUS

LIBELLUS

LIBELLUS

LIBELLUS

LIBELLUS

LIBELLUS

LIBELLUS

LIBELLUS

LIBELLUS

LIBELLUS

LIBELLUS

LIBELLUS

LIBELLUS

LIBELLUS

LIBELLUS

LIBELLUS



*EXTRACTUS VARI*  
**DE VITA CLERICALI AC SACERDOTALI.**  
**CAPUT I.**

De origine Clericalis seu Levitici & Sacerdotalis ordinis sub veteri testamento usque ad novi testamenti Sacerdotium in novâ Christi Ecclesiâ à Christo constitutum.



Tempore quo creatus homo Deum suum, mundique universi cognovit creatorem & dominum, Deo oblata esse sacrificia sacræ Geneseos docent paginae, memorantes de sacrificio & oblatione filiorum Adam primi hominis Abel & Cain, ac mundi servatoris Noë mundo post diluvium renovato: imò Melchisedechi commemoratio, quod sacerdos esset Dei altissimi offerens panem & vinum, ostendit aliquos fuisse ad divinas oblationes singulariter deputatos & sacerdotes vocatos antè legem per Moysen prophetam datam.

Sacer autem Exodus liber apertè describit quomodò post educationem populi Israël ex Ægypto per mare rubrum, præceperit Deus Moyse tabernaculum facere, in quo ipse Deus coleretur & adoraretur; ipsique populo suo electo adesset in omnibus necessitatibus invocatus. Tabernaculo illi divinæ suæ Majestatis invocandæ & adorandæ loco pontificem sacerdotes & levitas ordinare jussit continuò deservituros, & ad offerendum Deo hostias, laudesque cantandas propè illud Tabernaculum mansuros: eosque deputavit Aaronem Moyse fratrem, ejusdemque filios Pontifici etiam illi sacerdotibus quoque ac levitis singulares à communi populi usu discretas constituit vestes, lineas nimirum tunicas, cuique ministro-

rum illorum præscripsit Exodi 28. cap. Tentoria quoque ab aliâ plebe statuit separata circa tabernaculum construi, ut ad sacra ministeria peragenda semper nocte dieque parati & præsentessent: Tabernaculumq; illud & lucernam in eo semper ardentem custodirent. Sicut etiam libri Leviticus & Numerorum in diversis locis describunt.

Exodi mem. capite 28. *Filiis Aaron tunicas lineas parabis Balthem & Tiaras in gloriam & decorem.* Num. 18. legitur ipsum dominum dixisse ad Pontificem Aaronem: *In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israël. Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israël in possessionem pro ministerio, quo servivit mihi in tabernaculo fœderis. Nihil aliud possidebunt decimarum oblatione contenti.*

Hæc sacerdotum deputatio, vestitus, habitatio, & vigilantia ac mansio in tabernaculum domini, lucernæque lucentis custodia cognoscitur perseverasse subsequentibus annis ex libro primo Regum: in quo scribitur quomodo Anna Samuelis mater ab lactatum ipsum suum filiolum duxerit ad domum domini in Silo ad sacerdotem Heli, ibidemque ille manserit ministrans ante faciem Domini accinctus lineo Ephod: ac cum dormiret in templo coram arca domini, antequam lucerna domini extingueretur, vocatus sit à domino.

Circa David Regis tempora Levitas cantoresque sacros byssinis seu lineis vestitos fuisse, secundus Paralipomenon liber capite quinto tradit.

Ecclesiasticus Siracti filius cap. 50. sui libri Oniam sacerdotem describit, quasi corona fratrum sacerdotum & levitarum circa ipsum esset in gloria suâ.

Quant

Quando incarnatus Deus noſter cum hominibus in hoc mundo converſari incepit, parvulus à matre ſacerdotibus in templo oblatus eſt. Adoleſcentior factus, in doctorum, ſacerdotum & levitarum medio inventus eſt. Prædicans ac mirabilia ſigna faciens, leproſos mundatos ad ſacerdotes miſit. Paſſurus pro humani generis redemptione ab ſummis Pontificibus Annâ & Cayphâ in collecto Pontificum & ſacerdotum concilio judicatus, & ad crucem poſtulatſus eſt, Apoſtoliquè ejus poſt reſurrectionem comparere juſſi ſunt.

Sic ſub veteris legis teſtamento perduravit ſacerdotium illud uſquè ad ipſa Chriſti paſſi & reſurgentiſus à morte tempora, utiq; etiam in diſtincto ab aliâ plebe veſtitu linei Ephod ſecundum legis præſcriptum, quam ſecundum externam formam maximè zelare Phariſæi videbantur.

## CAPUT II.

De ſacerdotalis & levitici ordinis progreſſu & vitâ in continentia & cœleſtatu ſub vitæ communis obſervantia à Chriſto Domino inchoatâ & deductâ per aliquot ſæcula ſub Canone & obediencia Episcopali in novo Teſtamento.

**J**Udæorum populum Dei electam fuiſſe Eccleſiam ex ſacris paginis palam eſt: dum ille credidit in Chriſtum Meſſiam venturum, quem nos Chriſtiani in novâ Chriſti Eccleſiâ jam credimus veniſſe incarnatum paſſum, mortuum, & redivivum ſedere ad dexteram Patris Dei in regno cœleſti. Eſſi variata ſint tempora, ut qui venturus erat, jam veniſſe credatur, eadem tamen in eundem Chriſtum fides eſt. Sic & in figurâ ſecundum Apoſtolum Paulum contingebant omnia illis in veteri teſtamento: Nos autem revelatam veritatem habemus, cognoviſcimus & veneramur. Sic & ſacerdotium veteris, novi fuit præfiguratio.

Jesus

Jesus Christus Dominus noster completurus vetus Testamentum, & facturus novum, novam Ecclesiam, novum Sacrificium, novum Altare, novum Sacerdotium instituere volens, ad se suæ novæ Ecclesiæ Summum Pontificem congregavit Apostolicum Collegium futuros primos Clericos, Sacerdotes, & Pontifices per orbem terrarum dispergendos, eosdem collegit in unum, vocavit eos, ut relictis omnibus sequerentur eum, & omni tempore adhærent ei usque ad vitæ suæ finem.

Quia olim in primâ Fundatione Sacerdotii in populo Israëlitico statuit, ut nihil in terrâ possiderent, sed ipse Dominus Deus esset pars & hæreditas eorum in medio filiorum Israel. Sic sui Clericalis & Sacerdotalis Apostolici Collegii fundamentalem vitæ posuit regulam Luc. 14. Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Sicut omnes electi ab ipso ad illud primum Clericale Consortium relictis omnibus secuti sunt ipsum, adhærentes ipsi suo Magistro & Summo Pontifici, uti ex sacris Evangeliiis cognoscere licet, & intelligere à Simone Petro, qui nomine omnium dicebat Matt. 19. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergò erit nobis? Hi ipsi ordinati ab ipso Christo Pontifices & Sacerdotes novi Sacrificii incruenti Agni immaculati, cùm Christi Filii Dei resurrectionem à mortuis, & vitam æternam per eam sperandam prædicarent, plurimi conversi, agros suos ac omnem substantiam suam vendebant, & in commune ad usus pauperum conferebant, Actor. 2. cap. in eâ charitatis unione, ut qui eodem consortio tenebantur religionis, eodem fruerentur & vitæ: in quibus erat una fides, esset una substantia, & quibus unus communis est Christus, cõmunis esset & sumptus: ac pariter viventes haberent omnia communia: nec quisquam suum quid-

estio] quam



quam diceret, aut proprium aliquid haberet. Sicut Apostolorum illorum Princeps & Pontifex Summus confessus est pauperi stipem à se petenti, Act. 3. argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Iesu Nazareni surge & ambula. Sic & Joseph qui dicebatur Barnabas Levites Act. 4. scribitur, agrum quem habebat vendidisse, & ad pedes Apostolorum pretium detulisse. Postea & ipse cum apostolo Paulo peragravit Regiones prædicans Christum, ac per singulas Ecclesias constituit Presbyteros commendans eos Domino, in quem crediderunt.

Refert S. Lucas Act. c. 9. quòd Simon Petrus à morte resuscitaturus Tabhitam, iusserit advocari Sanctos: utique singulari quodam modo sanctificatos, & divinis ministeriis consecratos, quales sunt Presbyteri, qui ad illam Joppensem Ecclesiam constituti fuerant.

Paulus Apostolus in suis Epistolis vult salutari Sanctos utique similes divinis ministeriis deputatos per manûs impositionem.

Quibus etiam scribit I. Tim. 6. habentes alimenta & quibus regamur, his contenti simus: utpote quorum pars & hæreditas Deus est, & nulla portio in terrâ: quibus necessaria vestimenta & victus, quibus nec Christus caruit, nec humana infirmitas carere potest.

### CAPUT III.

Ex Sacris Conciliis.

**H**Æc Clericalis & Sacerdotalis vita sub communi consortio in continentia, aut coelibatu sub obedientia & Canone Episcopali ab ipsis sanctis Apostolis toti Ecclesie novæ Christi commendata in certis Regulis seu Canonibus comprehensa, publicata toti  
orbi

orbi ex Romanâ Sede post sanctos Apostolos Petrum & Paulum per Clementem S. Petri discipulum & in Pontificatu successorem fuit sub titulo Canonum Apostolicorum.

In his reperitur ut sequitur.

Canone 8. Siquis Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus aut quicumq; ex sacerdotali consortio, oblatione factâ non communicaverit, &c.

Canone 14. Siquis presbyter aut diaconus aut quicumq; tandem de clericorum consortio relicta parochia sua in aliam concefferit, &c.

Canone 25. Ex his qui coelibes in clerum perveniunt, jubemus ut lectores tantum & cantores, si velint nuptias contrahant, &c.

Canone 30. Siquis presbyter proprium aspernatus Episcopum seorsim conventicula egerit, & altare erexerit, deponetur, quasi qui principatum ambiat, consimiliter & reliqui clerici, qui suum ibi calculum apponunt.

Canone 37. Omnium rerum ecclesiasticarum curam Episcopus gerito quasi inspectante Deo. Non licitum ei esto, quicquam ex ipsis sibi tanquam proprium assumere.

Canone 38. Presbyteri aut diaconi absquè voluntate presbyteri nihil peragant.

Canone 40. Præcipimus ut Episcopus res Ecclesiæ in potestate habeat, ut illius arbitrata dispensentur nec non cum timore Dei, summâquè sollicitudine presbyteros & diaconos erogentur in pauperes, &c.

Ex Canone suprâ memorato 25. apparet quod cœlebatus clericatui annexus fuerit à principio constitutæ Ecclesiæ, ut sicut vocati à Christo ad Apostolatam cœlibes vixerunt, ita & post ipsos ad sacerdotale consortium venientes clerici futuri cœlibes permaneant sub

con-

continentiæ voto, quod ex sequentibus Concilii Ancyрани canoni-  
bus, aliisque patet.

*Ex Concilio Ancyrano.*

Canon. 10. Diaconi quicumque cum ordinantur, si in ipsâ ordi-  
natione protestati sint dicentes: velle se habere uxores, nec posse se  
continere: Hi postea si ad nuptias veniant, maneat in ministerio:  
Propterea quod his Episcopus licentiam dederit. Quicumque sane  
tacuerunt & susceperunt manus impositionem *professi continen-*  
*tiam* si postea ad nuptias venerint, à ministerio cessare debebunt.

Canone 19. Quotquot Virginitatem pollicitam prævaricati  
sunt *Professione contemptâ* inter Bigamos, id est, qui ad secundas  
nuptias transierint, haberi debebunt.

Quòd Novi Testamenti Presbyteri & Levitæ seu Clerici una cum  
Pontifice suo Episcopo simul propè Ecclesiam sicuti olim propè Taberna-  
culum Domini vixerint: & indè domus illa Episcopalis Ecclesiæ quoque  
nomen sortita sit, quod Ecclesiæ ministri propè Ecclesiam in ea simul in  
communi consortio vixerint sub obedientiâ, regulâ, & Canone ab Epi-  
scopo constituto, apparet ex sequentibus Conciliis.

*Ex Concilio Neocæsariensi.*

Canone 1. Presbyter si uxorem duxerit, ab Ordine illum de-  
poni debere; quòd si fornicatus fuerit, vel adulterium commise-  
rit, *extrâ Ecclesiam* abjici, & ad pœnitentiam inter *Laicos* redigi.

NB. Ecclesia hæc non est universalis Catholica, sed domus  
Episcopalis, Clericorum communis habitatio, extrâ quam inter  
Laicos abjicitur.

*Ex Concilio Niceno.*

Canone 15. Si qui timorem Dei ante oculos non habentes, ne-  
que Ecclesiastica statuta custodientes recesserint ab *Ecclesiâ suâ*, sive

Presbyter sive Diaconus, vel in quocunque Ecclesiastico Ordine positi fuerint, non debent suscipi in *aliâ Ecclesiâ*, sed cum omni necessitate cogantur, ut redeant *ad Ecclesiam suam*.

de Canone 17. Quoniam plures in *Canone* constituti cupiditatem ac turpia lucra sectantur.

NB. Qui in *Canone* constitutus, *Canonicus* est: undè *Canonicus* quasi in *Canone*; *Canon* autem regula est in Latino.

*Ex Concilio Romano sub S. Sylvestro & Constantino*  
*Magno Imperatore, in actione prima.*

Num. 4. Commoneo autem vobis omnibus mihi *Consorti- bus* monumentum hoc, ut de redditibus Ecclesiæ quatuor partes fiant, quarum una cedat Pontifici ad sui sustentationem, alia Presbyteris & Diaconis & omni Clero, tertia Templorum ac Ecclesiarum reparationi, quarta pauperibus & peregrinis & infirmis.

Num. 7. Itaque quoque Sylvester clarâ voce dicebat Pontifici Presbyter, Presbytero Diaconus, Diacono Subdiaconus, Subdiacono Acolithus, Acolitho Exorcista, Exorcistæ Lector, Lectori Ostiarius, in omni loco repræsentet obsequium, sive in publico, sive in *gremio Ecclesiæ*.

NB. In *gremio* est dicere in domo, ubi simul sunt quasi in *gremio*.

Num. 8. Nullus Subdiaconus ad nuptias transire nullâ prævaricatione præsumpserit, præcipimus.

*Ex eodem Conc. Rom. actione secunda.*

Num. 19. Nemo Presbyter à die oneris presbyterij præsumat conjugium.

Ex

*Ex Concilio Elibertino.*

Can. 35. Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus positis in ministerio, abstinere à conjugibus suis, & non generare filios: quòd quicumque fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.

*Ex Concilio Grangensi secundo tempore S. Sylvestri Papa.*

Num. 9. Si quis vel virginitatem, vel continentiam professus, tanquam abominabiles nuptias judicet, & non propter hoc solum, quòd virginitatis & continentiae bonum *Sanctum Propositum* est, anathema sit.

*Ex Concilio Arelatensi tempore S. Sylvestri Papa.*

Num. 13. Nullus cujusvis Ordinis Clericus, non Diaconus, non Presbyter, non Episcopus quacunquè occasione favente propriam *relinquat Ecclesiam*, sed omnimodè excommunicetur, aut *redire cogatur*.

*Ex eodem Arelatensi.*

Num. 25. Hi qui post sanctam *Religionis Professionem* apostant, & ad saeculum redeunt, & postmodum poenitentiae remedia non requirunt sine poenitentia, communionem penitus non recipiant: quos etiam jubemus ad Clericatus *Officium* non admit-  
ti.

NB. Irregulares declarari Apostatas Clericos religiosos, & votum religionis in usu fuisse.

*Ex Concilio Antiocheno sub Julio I. Papa.*

Can. 24. Quaecunquè res Ecclesiae sunt, convenit gubernari & dispensari iudicio & potestate Episcopi, &c. Manifesta autem esse oportet quae Ecclesiae competunt cum notitia eorum *Presbyterorum*

rorum & Diaconorum, qui circa ipsam sunt, ut ipsi ignorent, nec ipsos aliquid lateat, quæ sunt propria Ecclesiæ.

*Ex Concilio Laodicensi.*

Num. 15. Non licere præter *Canonicos psaltes*, id est: qui regulariter cantores existunt, quique pulpitem ascendunt, & de codice legunt, alium quemlibet in Ecclesiâ legere.

*Ex Concilio Telerfi.*

Num. 9. Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus suis non coëant, qui in ministerio divino quotidianis necessitatibus non occupantur, si Laicis (ad Corinthios) abstinentia imperatur, ut possint deprecantes audiri, quantò magis Sacerdos, utique omni momento paratus debet munditiæ puritate securus: ne aut sacrificium offerat, aut baptizare cogatur. Scriptum est unius uxoris virum: non permanenti in concupiscentia generandi dixit, sed propter continentiam futuram.

*Ex Concilio Carthaginensi 3tio sub Siricio PP.*

Num. 49. Placuit ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinati sunt, & tempore *Episcopatus vel Clericatus sui agros vel quæcumque prædia*. Nomine suo comparant, tanquam rerum divinarum invasionis crimine teneantur, nisi admoniti Ecclesiæ eadem ipsa contulerint: Si autem ipsis propriè aliquid liberalitate alicujus, vel successione cognationis venerit, faciant quod *Eorum proposito* congruit, quod si à *Proposito suo exorbitaverint, honore Ecclesiastico indigni tanquam Reprobi judicentur.*

NB. Ex supradictis voto carentiæ proprii seu paupertatis obstrictos fuisse, & propositum significare professionem & votum.

Ex cujus transgressione Reprobi erunt transgressores proprietarii sibi proprium acquirentes.

*Ex*

Ex Conc. Carthaginensi 4to, tempore Honorii Augusti,  
cujus Canonum titulus. Statuta Ecclesie antiqua.

Placuit constituere quæ ad ordines Ecclesiasticos, Canonicis necessaria sunt institutis.

Num. 31. Episcopus rebus Ecclesie tanquam *commendatis*, non tanquam propriis utatur.

Num. 35. Episcopus in Ecclesia in consensu Presbyterorum sublimior fedeat: *intrà domum verò Collegam se Presbyterorum esse cognoscat.*

NB. Ecce quam apertè significatur Episcopum cum Clero, & Clerum cum Episcopo in unâ domo vixisse.

Num. 45. Clericus professionem suam & in habitu & incessu probet, & ideò nec in vestibus, nec calceamentis decorem quærat.

*Ex Concilio Arausicano sub Leone PP. I.*

Num. 8. Siquis alibi consistentem Clericum ordinandum putaverit, priùs definiat ut *cum ipso habitet*, nec eum sine consultatione Episcopi, *cum quo antea habitavit*, ordinare præsumat: quia non sine causâ diu ab alio non ordinatus permansit.

*Ex eodem Arausicano sub Leone I. PP.*

Num 10. Siquis Episcoporum in alienâ civitatis Territorio Ecclesiam ædificare disposuerit, vel pro fundi suo negotio, aut ecclesiasticâ suâ utilitate, vel pro quâcunque suâ opportunitate permissâ licentiâ ædificandi ( quia prohiberi hoc nefas est ) non præsumat dedicationem: quæ illi ordinariè reservatur, in cuius territorio assurgit; reservatâ verò ædificatori Episcopo hac gratiâ ut *quos desiderat Clericos in re suâ videre*, ut ordinet is in cuius territorio est: et si ordinati jam sunt *ipsos habere acquiescat.* Et omnis Ecclesie gubernatio ad eum, in cuius civitatis territorio ecclesia surrexit, pertinebit.

NB.

NB. Alias Ecclesias extrâ Cathedrales constitutas esse cum Clericis ad illas : quæ Cœnobia postea vocatæ sunt aut Monasteria  
*Ex Calcedonensi Concilio.*

Num. 5. Neminem absolutè ordinari Presbyterum vel Diaconum vel quemlibet in ecclesiasticâ ordinatione constitutum, nisi manifestè in ecclesiâ Civitatis, sive possessionis, aut in Martyrio, aut in Monasterio, qui ordinatur, mereatur ordinationis publicatæ vocabulum.

Num. 8. Clerici in Prochodchiis, & in monasteriis aut Martyriis constituti, sub potestate sint ejus, qui in eâ est Civitate Episcopus. Eos verò, qui ausi fuerint rescindere hujusmodi constitutionem quocunque modo, vel si noluerint subjacere proprio Episcopo, si quidem fuerint Clerici pro personarum ordinatione subjaceant condemnationibus Canonum. Si verò *Monachi seu Laici* fuerint, communionem priventur.

Num 10. Non licere Clericum in Ecclesiâ duarum Civitatum ordinari, sed in eâ, in quâ ab initio ordinatus est : & cujus expetitione erat antè profugium. Et si propter vanæ gloriæ desiderium contigerit, ut post ad majorem Ecclesiam confugerit, eum indubitanter reverti debere ad eam, in quâ ab exordio ordinatus est, & ibi tantummodò ministrare.

Num. 6. Quoniam in quibusdam Ecclesiis (sicut ad nos pervenit) sine œconomo Episcopi res ecclesiasticas tractant, placuit omnes Episcopos habentes habere œconomum de proprio Clero, qui gubernet Ecclesiæ res cum arbitrio Episcopi.

*Ex Concilio Epavnenfi.*

Num. 37. Ne Laicus sine religione promissâ Clericus ordinetur.

*Exc*



*Ex Concilio Ilerdensi.*

Num. 16. Licet de re hujusmodi, quam constituere salubri ordinatione decernimus, pristina authoritas Canonum nequaquam filuerit, sed evidenti sanctiora præceperit: ut cujuscunque Ecclesiæ Pontifice defuncto non passim pro libitu suo in earum rerum direptionem, quas obiens dereliquit, quisquam irruat, domumque subvertat. Sed Sacerdos qui exequiarum tempore est, ea omnia, quæ ad utilitatem & conservationem pertinent, debet diligenti circumspeditione munire, tamen quia ipsa sanctio (quod pejus est) à multis Clericis nunc cognoscitur violari: ita ut non jubente Sacerdote expectorato affectu totaque disciplinæ severitate posthabitâ immaniter, quæ in domo Pontificali reperiuntur, invadunt & abradunt. Ideò nunc hâc hujus placiti constitutione inter nos censurâ placuit custodire, ut defuncto Antistite, vel etiam adhuc in supremis agente, nullus Clericorum cujuslibet Ordinis, officij, gradusvè sit, quicquam de domo præsumat, vel quod de utilitate instrumenti domûs esse agnoscitur, id est, mobilis vel immobilis rei Ecclesiasticæ conetur invadere, nihil furto, nihil supprimens, auferens atque abscondens. Sed is, cui domus commissa est, subjunctis cum consilio uno vel duobus fidelissimis Clericis, omnia usquè ad tempus Pontificis constituendi debent conservare, & his, qui in domo inveniuntur Clericis consuetam alimoniam administrare; Substitutus autem Antistes susceptæ sedis commoda ordinabit velut Deus, imperabit uti cum his debeat, quos cognoverit disciplinæ & charitati Prædecessoris sui fideliter paruisse.

*Ex Concilio Valentino tempore Simmachi PP.*

*vel PP. Hormisdæ.*

Num. 2. Hoc etiam placuit, ut Episcopo ab hoc sæculo jubente  
Domi-

Domino accersito, Clerici ab omni omnino supellectili, vel quæcunque sunt *in domo Ecclesiæ vel Episcopi*, in libris, speciebus, utensilibus, vasculis, frugibus, gregibus, animalibus, vel omni omnino re rapaces manus abstineant, & nihil latronum more diripiant. Quod si nec Canonum autoritate prohibiti fuerint, omnia quæ pervaserint Metropolitanis vel omnium comprovincialium Sacerdotum districtione coacti in pristinum statum redintegrare cogantur: ut *nihil Antistiti vel Dispensatori futuro* necessariorum sub hac iustâ constitutione depereat.

*Ex Concilio Toletano, secundo tempore Joannis Pp. 2di.*

Num. I. De his, quos voluntas parentum à primis infantiaë annis in Clericatus officio vel Monachali posuit, pariter statuimus observandum, ut mox cum detonsi, aut ministerio Electorum traditi fuerint, *in domo Ecclesiæ sub Episcopali presentia à Præposito sibi debeant erudiri.* At octavum decimum ætatis suæ compleverint annum, coram totius Cleri, plebisque conspectu voluntas eorum de expetendo conjugio ab Episcopo perscrutetur. Quibus si gratia castitatis (Deo inspirante) placuerit & promissionem castimoniam suam absque conjugali necessitate responderint servaturos: hi tanquam appetitores arctissimæ viæ levissimo Domini jugo subdantur: ac primo Subdiaconatus ministerium *probatione habitâ professionis suæ* vicesimo anno suscipiant.

NB. Vide hic claris verbis probationis seu Novitiatûs tempus & professionem commemorari.

*Ex Concilio Aurelianensi 3tio tempore Vigilij Papa.*

Can. I. Nullus Clericorum à Subdiacono & supra, quos uxores *in Proposito suo* accipere inhibetur, propriæ (si fortè jam habeat)

beat ) misceatur uxori ; quod si fecerit , laicâ communionem contentus, juxtâ priorum Canonum statuta ab officio deponatur.

Num. 11. Si qui Clerici ministeria suscepta quacunque occasione agere sicut & reliqui, detrectant, & excusationem de patrocinis quorumcunque ac officium impleant, prætendunt ; ac Sacerdotes suos sub hujusmodi causâ æstimant per inobedientiam contemnendos, inter reliquos *Canonicos*, ne à licentiâ alii vitentur, nullatenus habeantur : nequè ex rebus ecclesiasticis cum Canonibus stipendia aut munera ulla percipiant,

NB. Clericos *Canonicos* vocatos fuisse.

Num. 18. De his verò Clericorum personis quæ de civitatis ecclesiæ officio Monasterii vel Diocesis, vel Basilicæ, in quibuscunque locis positis, id est : sive in territoriis, sive in ipsis civitatibus suscipiuntur ordinandæ, in potestate sit Episcopi.

NB. Clarum hinc est de cathedralibus, sive Civitatum ecclesiis, Clericos ad alias ecclesias esse constitutos.

*Ex Concilio Arvernensi tempore Vigiliæ Papæ.*

Num 14. Si quis ex Presbyteris aut Diaconis, qui neq; in civitate, nequè in parochiis *Canonicus esse dignoscitur*, sed in villatis habitans, in oratorio sancto deserviens celebret divina mysteria, festivitates præcipuas Domini, Natale, Pascha, Penthecosten, & si quæ principales sint festivitates reliquæ nullatenus alibi, nisi cum Episcopo suo in Civitate teneat.

NB. Iterum *Canonicos* olim vocatos Clericos.

*Ex Synodo Turonica secunda Tempore Pelagii I. Papæ*

Num. 13. Episcopus conjugem ut sororem habeat, & ita sanctâ gubernatione gubernet domum omnem, tam ecclesiasticam quam propriam, ut nulla de eo suspicio quaque ratione confurgat Et

C

licet

licet Deo propitio Clericorum suorum testimonio vivat, quia cum illo tam in cella, quam ubicunque fuerint secum habitent, eumque sequantur & Presbyteri & Diaconi, vel deinceps Clericorum turba juniorum Deo adiutore conversantur, sic tamen propter Zelotem Deum nostrum tam longè absint, mansionis propinquitate divisi, ut nec hi, qui ad spem recuperandam Clericorum servitute nutriuntur, famularum propinquâ contagione polluantur.

NB. Cellam separatam mansionem in formâ Monasterij ab olim consuetam.

Num. 20. Archipresbyteri, Vicani, & Diaconi & Subdiaconi non quidem omnes, sed plures in hac suspicione tenentur à populo, quod cum conjugibus suis maneant, pro qua re hoc placuit observare, ut quotiescunque Archipresbyter seu in vico manserit, seu ad villam suam ambulaverit, unus Lectorum Canonorum suorum, aut certus aliquis de numero Clericorum cum illo ambulet, & in cella, ubi ille jacet, lectum habeat pro testimonio: Septem tamen inter Subdiaconos & Lectores habeat concessus, qui vicissim cum illo septimanas facere omninò procurent: & qui distulerit, fustigetur. Etsi in hoc Presbyter negligens inventus fuerit, quòd non hoc sic implere contendat, triginta diebus communionem privetur. Reliqui Presbyteri & Diaconi & Subdiaconi, Vicani hoc studeant, ut mancipiola sua ibi maneant, ubi uxores suæ, illi tamen segregatim solitarij in cella jaceant, & orent, & dormiant; Nam qui uxores non habent in parte de mancipiolis suis habeant cellulas segregatim, ubi & ipsi quidem orent segregati & dormiant, &c. Illi verò Archipresbyteri, qui talem cautelam super juniores suos habere noluerint, & non eos habuerint studio restringendi, ab Episcopo suo in Civitate retrudantur in cellâ, ibique mense integro panem cum aquâ manducant,

ducent, poenitentiam agant pro credito sibi Clero. Quia nulli Clericorum juxtà sententiam Canonum cum conjugē suâ manere permittitur. Et quia hæresis Presbyterorum à quodam Presbytero primum surrexit, etiam quòd nullus potuit æstimare, quòd auderet ille, qui corpus Domini consecrat, talia perpetrare, nisi tempore novissimo pro peccatis nostris illa surrexerunt.

*Ex Concilio Toletano 2do sub Pelagio Pp. II.*

Num. I. Compertum est à sancto Concilio, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, venientes ex hæresi, carnali adhuc desiderio uxoribus copulari. Ne ergò de cætero hoc fiat, præcipimus.

NB. Vide, unde conjugium Clericorum natum sit.

*Ex Concilio Hispalensi 2do, Præside Isidoro.*

Num. 9. Unusquisque nostrum secundum Chalcedonensium Patrum decreta ex proptio Clero œconomum sibi constituat, indecorum est enim Laicum Vicarium esse Episcopi, &c. oportet nos & divinis libris & sanctorum Patrum obedire præceptis constituentes, ut hi, qui in administrationibus Ecclesiæ Pontificibus sociantur discrepare non debeant, aut nec professione, nec habitu.

Num. 23. Si qui in Clero puberes aut adolescentes existunt, omnes in uno Conclavi atrij commorentur, ut lubricæ ætatis annos non in luxuriâ, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant deputato probatissimo Seniore, quem ut Magistrum disciplinæ & vitæ habeant. Quòd si aliqui ex his pupilli existunt, Sacerdotis tutelâ foveantur, ut & vita eorum à criminibus intacta sit, & ei ab injuriâ improborum. Qui autem his præceptis resultaverint, monasteriis deponentur, ut vagantes animi & superbi severiori regulâ distringantur.

## De Corona Clericali.

*Ex Concilio Toletano 4to tempore Honorii Papa I.*

**O**Mnes Clerici vel Lectores sicut Levitæ & Sacerdotes detonsi superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquunt, non sicut hucusquè in Gallitiæ partibus facere Lectores videntur: qui prolixis ut Laici comis in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispaniis hucusquè hæreticorum fuit, undè oportet, ut pro amputando ab Ecclesiis scandalò hoc signum dedecoris auferatur, & sit una Tonsura vel habitus, sicut totius Hispaniæ est usus. Qui autem hoc non custodierit, fidei Catholicæ reus erit.

Num. 47. Eos, quos Oeconomos græci vocant, hoc est: qui vice Episcopi res ecclesiasticas tractant, sicut sancta Synodus Chalcedonensis instituit, omnes Episcopos de proprio Clero ad regendas Ecclesias habere oportet.

Num. 49. Clerici qui Monachorum propositum appetant, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eos ab Episcopo in monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.

*Ex Concilio Relatensi tempore Caroli Magni.*

Num. 6. Providendum necesse est, unicuiquè Episcopo qualiter Canonici vivere debeant, nec non & Monachi, ut secundum ordinem canonicum vel regularem vivere studeant.

Num. 8. Ut non amplius suscipiantur in Monasterio Canonici atquè Monachorum, seu etiam Puellarum, nisi quantum ratio permittit, & in eodem Monasterio absquè penuriâ degere possint.

Ex

Ex Synodo Tusonensi tempore Caroli Magni.

Num. 23. Canonici & Clerici Civitatum, qui in Episcopis versantur, consideravimus ut in claustris habitantes simul omnes in uno Dormitorio dormiant, simulque in uno reficiantur Refectorio, quo facilius possint ad horas Canonicas celebrandas accurrere, & de vita & conversatione sua admoneri & doceri: Victum & vestitum juxta facultatem Episcopi accipiant, ne paupertatis occasione compulsi, per diversa vagari, ac turpibus se implicare negotiis cogantur, dimissoque Ecclesiastico officio incipiant indiscipline vivere, & propriis deservire voluptatibus.

Num. 24. Simili modo & Abbates monasteriorum, in quibus canonica vita antiquitus fuit, vel nunc videtur esse, sollicitè suis provideant Canonicis, ut habeant Claustra & Dormitoria in quibus simul dormiant, simulque reficiantur. Horas Canonicas custodiant victum & vestimenta (juxta quod poterit Abbas) habeant, quo facilius ad Dei servitium possint constringi. Sintque Abbates sibi subditis bene vivendo duces & prævii, viamque demonstrent, quâ recta gradiendo, ad meliorem vitam pervenire valeant.

Ex Synodo Cabilonensi sub Carolo Magno.

Num. 6. Res Ecclesiæ quibus Episcopi non uti propriis, sed ut commendatis uti debent, pretia sunt peccatorum, patrimonia pauperum, stipendia fratrum in communi viventium.

NB. Stipendia sunt victus & vestitus. Ut supra.

Num. 7. Episcopi sive Abbates qui non in fructum animarum, sed in avaritiam & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines illectos circumveniando totonderunt, ut res eorum tali persuasione non solum acciperent, sed potius subriperunt poenitentia Canonice sive regulari, ut puta turpis lucri sectatores subjaceant.

Ex

Ex Concilio Maguntiaco anno 813. habito Maguntia in  
Monasterio S. Albani.

Num. 9. Canonici Clerici Canonice vivant observantes divi-  
næ Scripturæ doctrinam & documenta sanctorum Patrum & nihil  
sine licentiâ Episcopi sui vel Magistri eorum compositi agere præ-  
sumant in unoquoque Episcopatu: & ut *simul manducent & dor-  
miant*, ubi his facultas id faciendi suppetit, vel qui de rebus eccle-  
siasticis stipendia accipiunt, & *in suo clauastro maneant*, & singulis  
diebus manè primò ad lectionem veniant, & audiant quod eis im-  
peratur; ad *mensam verò similiter lectionem audiant, & obedi-  
entiam secundum Canones suis Magistris exhibeant.*

Num. 19. Plus non mittantur in monasteria Canoniorum vel  
Monachorum, aut puellarum, quam sufferri possit.

NB. Hinc præbendæ Regulares ortum habere videntur.

Num. 22. De Clericis vagis seu de acephalis, id est, de his, qui  
sunt sine capite neq; in seruitio Domini nostri Jesu Christi, neq; sub  
Episcopo, neque sub Abbate, sed *sine Canonicâ & Regulari vitâ  
degentes*. Hos neque inter Laicos aut sæcularium officiorum studia  
neque inter Clericos Religio tenet divina, sed solivagos atque ober-  
rantes sola turpis vita complectitur & vaga &c. quique dum nul-  
lum metuunt, explendæ voluptatis suæ licentiam sectantur.

NB. Canonicos etiam olim Abbates habuisse.

Ex Concilio Remensi tempore Leonis Pp. III.

Num. 8. Lecti sunt Canones, ut quisquè Canonicus Legem vi-  
tamque suam minimè ignoret.

N. 25. Monachi & Canonici pleniter consilium habeant, qualiter  
Deo militare, animasq; eorum meliùs valeant custodire, &c.



*Ex Concilio Wormatiensi.*

Num. 46. Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes qui indigent: summa quoque reverentia & timore Dei participet, & ipse quibus indiget, si tamen indiget tam suis quam fratrum qui ab eo suscipiuntur necessariis usibus profuturis. Et ita in nullo qualibet occasione fraudentur, juxta Apostolum sic dicentem: *Habentes victum & tegumentum, his contenti simus.*

Num. 47. Quatuor autem, tam de redditibus, quam oblatione fidelium (prout cujuslibet Ecclesie facultas admittit, sicut dudum decretum est) convenit fieri portiones, quarum sit una Pontificis, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta est fabricis applicanda.

NB. Conservatam ordinationem S. Silvestri Pp.

Num. 68. Placuit ut ad Lectores cum ad annos pubertatis venerint, cogantur, aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.

Nu. 75. Non licere Clericis post obitum sui Episcopi res ad eum pertinentes diripere, sicut antiquis quoque Canonibus constitutum est.

*Ex Synodo Romana sub Nicolao I. Pp.*

Num. 13. Nullus Laicus ad quemlibet gradum Ecclesiasticum repente promoveatur, nisi post mutatum habitum secularem, diutina conversatione inter Clericos fuerit comprobatus.

*Ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. Anno 1180. celebrato, in titulo de ordinatione filiorum Sacerdotum.*

Num. 2. Filii Sacerdotum non debent ad ordines admitti, nisi in Monasterio vel Canonica Regulari vita fuerint probati.

NB. Hic legitur primo de canonicâ regulari vitâ, ad distinctionem contra secularem Canonicam, quæ, ut sequitur, jam ceperat.

Et

**Num 2.** Qui habitum Religionis antè Professionem deserunt,  
*In secularibus non debent Ecclesijs admitti.*

**NB.** Hic primo reperitur mentionari de Ecclesijs secularibus.

*Ex Concilio Oxoniensi Anglicano.*

**Num 40.** Tam monachi quam Canonici Regulares & moniales  
in uno dormitorio pariter dormiant & quiescant singulis personis  
singulis lectis assignatis, & in uno refectorio simul.

### CAPUT III.

Clericalis & Sacerdotalis communis vita in variis Ecclesijs observata,  
per varios extractus Historiarum ostenditur.

**D**E Ecclesiâ Vaticanâ S. Petri Romæ, habet Breviarium Romanum  
in festo S. Leonis Papæ Magni, seu primi, quod ædifica-  
verit Monasterium vicinum Basilicæ S. Petri.

De Ecclesiâ Ultrajectensi sub Anno Christi 690. scribit Baro-  
nius Tomo octavo suorum ecclesiasticorum Annalium ex libro S.  
Marcellini Presbytiri, &c.

Magnificus Præsul S. Egbertus, sitiens & affectans salutem om-  
nium hominum, & præcipuè Paganorum Frisonum & Saxonum, eò  
quod Angli ab eis propagati sunt, non desistens à bonâ voluntate,  
& beato proposito tentavit adhuc in opus verbi Dei mittere illic  
sanctos & industrios, & ad prædicandum verbum Dei strenuos &  
idoneos viros, utpotè actione & eruditione præclaros. Elegit ergò &  
congregavit instar duodecim Apostolorum, duodecim Apostolicos  
viros in fide constantes ex diversis Monasteriis ad prædicandum  
Germanis Catholicam fidem. Fuerunt autem hi missi: Wilibror-  
dus, Svivibertus, Acca, Wuigbertus, Willibaldus, Wuniboldus,  
Lebui-

Lebuinus, Duo Ewaldi, Werenfridus, & ego minimus Marcellinus, qui hanc historiam sicut & S. Willibrordi conscripsi.

Omnes præfati Presbyteri & Sacerdotes fuerunt: ac sanctissimus Adelbertus Levita, filius Regis Deirorum, qui pro Christo dimittens Regale Patrimonium cum prædictis sanctis Presbyteris electus à sancto Egberto amore Christi peregrinum non recusavit exilium. Anno 697. Baronius &c.

Anno à Nativitate Domini sexcentesimo nonagesimo septimo S. Willibrordus adepta jam apostolicæ benedictionis authoritate consecratusq; Archiepiscopus à S. Sergio Papa rediit ad Germaniã, cui occurrens S. Swibertus cum Clericis & Discipulis & multis Christianis usque Embricam, &c. Deinde pariter Trajectum pergentes, statim in fundo Basilicæ S. Thomæ Apostoli, propè castrum Trajectense *Canonicorum Cœnobialium construxit* Ecclesiam in honorem S. Martini Episcopi Turonensis, in quâ S. Willibrordus Archiepiscopus Frisonum Cathedralem Ecclesiam sibi stabiliri iussit, quam per primitivam benedictionem SS. Willibrordus & Swibertus Episcopi cum cæteris Confratribus propriis manibus benedicendo consecraverunt.

Deinde animadvertentes præfati sancti Pontifices & egregij Prædicatores, qui cum eis ex Anglia venerunt Trajectum, quòd multus populus Deo prosperante ab infidelitatis errore ad Christum conversus esset, convocatâ Synodo in novellâ Ecclesiâ Trajectensi *decreverunt more Apostolorum & Discipulorum Christi in diversas circumjacentes barbaricas nationes præstantiores Prædicatores dimittere ad prædicandum ipsis fidem Christi.* Erant autem eo tempore in eadem primitivâ Ecclesiâ Trajectensi *Apostolici Pontifices & Canonici egregij Prædicatores, qui S. Swiber.*

D

tum

tum cum sanctis Ervaldis sequentes, constanter Christum gentibus predicaverunt, utpote sanctus Winfridus Sacerdos, qui postquam tredecim annos in Ecclesiâ Trajectensi ut Canonicus degisset, Archiepiscopus Moguntinensis & Bonifacius appellatur.

## De Ecclesia Augustana in Suevia.

*Ex Chronico Augustano Sigismundi Religiosi ad S. Afram  
sub annum 1483. composito.*

**P**Arte I. cap. 8. Pace Ecclesiæ sub Constantino redditâ ceperunt fideles novæ rei gestæ memoriam habentes sanctis Martyribus honorem deferre, Ecclesiamque super sacra ossa (S. Afræ) constituere peste ac infortunio ad instar fumi gentilibus absumptis. Ibidem denique Clerici instituti sunt sub Apostolicâ Regulâ in communi viventès, ac Deo jure Sacrificium Laudum statutis horis persolventes, qui processu temporis Canonici Regulares nuncupati sunt.

*Ex eodem. p. 2. c. 1.*

Olim locus iste non adeò temporalibus rebus fultus erat: & quod Clerici Religiosi illum occupabant: sed tandem religione abjectâ aut numero defecerunt. Quare Religio illa, quam cæteris præeminuisse constat eo tempore, quam etiam S. Udalricus circa finem vitæ assumpsisse traditur, S. Benedicti videlicet, huc introducta est, &c. Acta sunt hæc sub Imperatore S. Henrico Bambergenfi, & ejus fratre Brunone circa annum Domini millesimum.

De

# De Ecclesia Constantiensi ad Sinum

Bodanum.

*Extractus ex Chronico Constantiensi Jacobi Manlij  
Brigantini Doctoris de S. Conrado Episcopo.*

**I**N Catalogo Episcoporum S. Conradus vigesimus quartus Episcopus Constantiensis. Hic ex Comitibus de Altorff natus est, &c. fuit hic sanctus Conradus à Notingo Episcopo prædecessore suo in puerilibus annis ad educandum susceptus, dumquè adhuc apud Notingum esset, à Canonicis Ecclesiæ Constantiensis in Præpositum ejusdem Ecclesiæ receptus, post obitum autem præfati Notingi in Episcopum Constantiensem exstitit, Electus Anno Domini 934.

*Ex eodem Chronico in vita S. Conradi.*

B. Conradus traditur à parentibus Constantiensis Ecclesiæ Fratribus litterarum scientiâ imbuendus, *in quorum contubernium illius fortè, cujus est assumptio nostra, receptus ad Excubias Tabernaculi, quod fixit Deus, minister initiatur Leviticus.* Nec defuit unctio Spiritûs alumni sui præcordijs.

Auxit quoque Fratrum majoris Ecclesiæ numerum speciosum ex propriis ac memoriale tradens eis allodium, ne militantibus Deo, si gravius *paterentur victus & vestitus dispendium illud* tanquam in deserto murmurantibus virus irreperet serpentinum, quod non nisi per Dominicæ Passionis fugatur intuitum.

*Ex eodem Chronico Constantiensi de S. Gebhardo.*

Gebhardus secundus istius Nominis 26. Episcopus patre Urone Comite procreatus &c. nutritus, & litteris traditus, *apud Con-*

D 2

stan-

*stantienses eruditus, ibique Canonicus factus est.* Ecclesiæ S. MARIE Constantiensis partem prædiorum suorum temporibus beatæ memoriæ Conradi Præfulis tradidit, talesquè litteras dedit: Noverint omnes tam præsentis, quàm futuri, quòd Ego Gebhard S. Constantiensis Ecclesiæ Frater indignus cogitans pro remedio animæ meæ, nec non Evangelica & Apostolica secutus præcepta cum consensu Fratrum meorum & Advocati mei Udalrici juris mei proprietatem, quam parentum successione in locis Oberndorff, Hutz, Linbach, &c. dignoscor habere, trado ad S. prædictæ Constant. Ecclesiæ Cœnobium Fratribus Deo ibidem assidue famulantibus, cui vir summæ religionis & doctrinæ Conradus Episcopus regimine speciali præfectus esse videtur, &c. Obijt S. Gebhardus 6. Cal. Sept. Anno 996. cùm regnasset annis 16. Episcopus.

## De Ecclesia Trevirensi.

*Ex Magno Chronico Belgico.*

**V**enerabilis Henricus hujus nominis primus, post Rupertum creatus est septuagesimus secundus Trevirensis Archiepiscopus Anno Domini nongentesimo sexagesimo, Pontificatûs Joannis duodecimi anno tertio, præfuit annis sex. Ipse regulares officinas & claustrum circa majorem Ecclesiam construxit, & rigorem regularis conversationis ibidem decrevit exerceri. &c.

NB. Sub hoc S. Wolfgangus in Ecclesiâ Trevirensi vixit, & sub successore indè discessit.

*Ex eodem.*

Venerabilis Theodoricus hujus Nominis primus Præpositus Moguntinus, successit in Pontificatu Trevirensi Anno Domini nongentesimo sexagesimo sexto Pontificatûs Leonis Papæ octavi anno

anno secundo, & præfuit annis quatuor. Iste corpus prædecessoris sui Henrici hujus nominis primi de Italiâ Treverim relatum, in Coemiterio majoris Ecclesiæ sepelivit, &c. sub eo Regulares Canonici in Ecclesiâ S. Petri esse desierunt, sepultus in Coemiterio S. Eucharij. Hæc ex Chronicis eorundem Pontificum.

## De Ecclesia Leodiensi.

*Ex Magno Chronico Belgico.*

**S**anctus Hubertus Filius Ducis Bertrandi, Ducis Aquitaniæ, ex sorore sanctæ Odæ viduæ, & ex regali Franciæ sanguine ortus, Ecclesiæ Tungrensis tricesimus, & Leodiensis primus Episcopus, cœpit Anno Domini septingentesimo Pontificatus Sergij Papæ ultimo anno. Primò Ecclesiam Cathedralem Leodij in honorem Beatæ Mariæ Virginis & beati Lamberti construxit, in quâ viginti Canonicos posuit. Nomen Civitati Leodium dedit, &c.

Wazo & Gaazo ex Clero S. Lamberti, vir Spiritu sapientiæ & scientiæ & fervore Religionis insignitus, ordinatur Leodiensis vigesimus tertius Episcopus & quinquagesimus à beato Materno Anno millesimo quadagesimo secundo. Præfuit annis sex, & centum & quinque annorum erat, quando fuit electus. Iste sanctus Pontifex ante Episcopatum sub Notgero Capellanus fuit, Inde Magister scholarum ab eo, & postmodum Sacellanus Conradi Imperatoris factus est; deinde factus est Præpositus simul & Archidiaconus Leodiensis; per quatuor autem circiter annos administravit officium Præposituræ. Defuncto Nitardo Episcopo à Clero & populo in Episcopum eligitur, factus Episcopus in

in quadragesimâ à Choro vel à conventu separari volebat: Saxeo sedili pro lecto, mattula utens pro lectisternio, pane avenacio cum fabâ modicâ sustentatus, &c. Multa bona Leodiensi Ecclesiæ antè & post Episcopatum fecit: Præbendas majoris Ecclesiæ pauperes & exiguas ditavit, & cum unus panis quotidie pro stipendio tribueretur, iste candentis similæ panem quinque libras appendentem adjecit, & centum quadraginta vecturas vini hac ratione, ut ex eo quod prædictis fratribus superesset, aliarum Ecclesiarum quibus non esset confuleretur inopiæ. Decentissimum ajens esse, ut Ecclesiæ majoris abundantiam, minorum suppleretur indigentia. Item constituit quotidianam refectioem duodecim Clericorum, qui dicuntur retrò ostium, quia in præsentiam Dominorum juxtâ ostium rectorii comedunt, &c.

## De Coloniensi Ecclesiâ.

*Ex Sacrario Coloniensi Ægidii Gelenii lib. 3. §. 1. de initiis & incrementis Cleri Coloniensis Ecclesiæ ipsius Waronis Leodiensis Episcopi Epistola ad Joannem Præpositum.*

**E**Rgo Frater, omnes in communi accingamur humilitate, fidelitateq; & res claustris sicut oportet, tractemus irreprehensibiliter. Quâto majores sumus in sæculo dignitatibus; tantò nos humiliemus in omnibus. Avaritiæ, Dominationisquè altitudinem fugiamus studiosè, quæ Religionis disciplinam naturaliter solent propulsare. *Instruat saltem nos Coloniensis disciplina claustris: Ubi Præpositus & Prælati in Choro primi stantes, officiosè satagunt, ne quid difficultatis proveniat, sivè negligentia. Disciplina claustris specialius ascribitur Prælato: nec tamen deest invitatus Præpositus, Si quid defue-*



fuerit sine inimiciis exigit Prælatus, Cellerarius annonam, vinum, pulmenta fuscipiens à Præposito, Prælati seniorumquè dispensat mandato. Liber est Præpositus ab expensis quæ dederit Cellerario, Cellerarius ab his æque quibus paruerit Prælato. Sic concordia Prælati & Præpositi in claustrum ædificationem cooperatur: quia non ambitiosa charitas, quæ Dei sunt, non quæ sua rimatur. Co-Episcopos & Archidiaconos ob insolentiam removit Ecclesia: Unde & his caret usquè in præsens Metropolis Colonia & tota provincia. Canon vetat Diaconum antè Presbiterum injussum federe: Tu Presbytero præsumis judicare. Hæc Wazo Episcopus de Coloniensi.

*De S. Leone Pp. IX.*

In eodem Gelenji Sacratio Coloniensi Titulo privilegia Metropolitanæ Coloniensis. narratur, quod S. Leo nonus ex cive & Canonico Coloniensi in Tullensem, & deinde in Summum Pontificem promotus sit.

*Ex magno Chronico Belgico de S. Severino.*

Cepit secundum quosdam Anno Domini trecentesimo quadragésimo sexto. Idem inter cætera suarum opera virtutum instituit in Coloniâ Ecclesiam & conventum fratrum, in honorem sanctorum Cornelii & Cypriani.

*Ex eodem magno Chronico Belgico de S. Cuniberto.*

Sanctus Cunibertus septimus Præsul Coloniensis Ecclesiæ cepit Anno Domini sexcentesimo decimo quinto, extruxit ecclesiam extrâ muros urbis Coloniensis in honorem S. Clementis Martyris, conventumquè fratrum ibi constituit.

Ers

*Ex Synodalibus Statutis Conradi Archi-Episcopi Colo-  
niensis de Anno 1260.*

Num. 7. de Dormitoriis.

Præcipimus quod Ecclesiæ Canonorum, carentes dormitoriis ea deinceps habeant de communi ecclesiæ ære seu pecuniâ construenda, & Canonici qui habentes dormitoria, dormire in his aliquamdiù dissiueverunt, in his dormiant, pro ut hoc consuetum fuit antiquitùs. His duntaxat exceptis, quos infirmitas seu debilitas, aut alia causa legitimæ necessitatis excusat, cum alias cassa & vana fuisset ipsorum dormitoriorum structura, si non in ipsis modo & more debito, maximè causa matutinalis officii dormiatur, &c. Item percepimus, quod quædam Canonorum collegia in consuetudinem adduxerint, &c. Super hoc ita statuimus secundum consuetudinem maioris ecclesiæ vigiliæ cum officio pro defunctis in choro solemniter decantentur, & post huiusmodi decantationem officii, Decanus & fratres ingredientur domum Capituli, ante omnem tractatum disciplinæ vel etiam præbendæ, aut cuiuscunque alterius negotii tabulæ Capitularis lecturam (habentis distinctè & in specie quid unicuique sit cantandum vel legendum in choro) audiant diligenter. Ac insuper lünationes mensium ac Kalendæ & obitus legantur, nec non aliqua lectio de Regulâ & vitâ Clericorum legatur. Et tunc immediatè de disciplinâ fiat, quod fuerit faciendum, &c. Et si aliquando Decanus non fuerit præsens, propter hoc non omittatur ullatenus, quin fratres domum Capituli intrent, ad audiendam ipsius tabulæ Capitularis lecturam, quia cum in maiori Ecclesiâ talis & bona utiquè consuetudo in huiusmodi observetur, id ipsum in aliis Ecclesiis volumus observari.

De

De Linea Tunica Canoniorum.

*Ex iisdem Statutis Coloniensibus, eodem numero.*

**S**Acerdotes ipsi, quotiescunque celebraturi sunt Missam, veste Camisiali sub albâ non careant, ne albam, quæ consecrata est, vestis ipsorum tunicæ immediatè valeant contingere, ne ipsæ tunicæ apparere.

Et N. 9. Item ne Canonici Ecclesiarum in Solemnitatibus & Stationibus sine choralis Pelliceo, vel veste Camisiali sub superpelliceo incedant in Ecclesiis conventualibus & in choro.

CAPUT V.

*Ex Scripturis antiquorum Patrum.*

**S**ANCTUS Clemens, S. Petri Apostoli Discipulus Romanus Pontifex ad Clericos Hierosolymitanos scripsit in hunc modum:

Communis vita Fratres omnibus necessaria est, & maximè his, qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolicam, eorumquè Discipulorum imitari volunt.

Origenes antiquus Doctor & Clericus Homil. 16. sup. Genesin, sui temporis Clericos & Sacerdotes ergà Ægyptios Sacerdotes Pharaonis constituens, ait: Vis scire, quid intersit inter Sacerdotes Dei & Pharaonis. Pharaon terras concedit Sacerdotibus suis. Dominus autem Sacerdotibus suis partem non concedit in terrâ, sed dicit eis, ego sum fors vestra: quasi fortem habentes ipsum Deum, nihil possiderent in terrâ.

E

Ex

*Ex S. Epiphanio contra hæreses.*

Hæresi 80. Mensura conversationis in Christo, quæ præcipit renuntiare mundo, possessionibusque propriis, & à pecuniis alienum esse, venderequè sua, & dare pauperibus: accipere verò crucem, & sequi in veritate.

Hæresi 59. Quod decentius est, id semper Ecclesia per Spiritum sanctum benè disposita videns, statuit apparare, ut cultus divini indistracti Deo perficerentur. Secundùm S. Paulum Apostolum I. Corinth. 7. Volo vos sine sollicitudine esse, qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo.

De sancto Gregorio Nazianzeno scribitur, quòd quidam Julianus ad ipsum missus à Valente Imperatore, ut de singulis capitibus censum nummorum exigeret; ad eum Gregorius referebat: Ego tibi Juliane, pro gratiâ, quam exhibuisti mihi præsentiam tuâ, vicissim tibi gratiam redhibeo, offeroque omnes pauperes, chorum scilicet Sacerdotum & Philosophorum (Monachorum intelligit) qui nullo vinculo terreno obligantur, & sola sua corpora possident; imò neque hæc omni modo, qui nihil habent, quod Cæsaris sit, sed omnia illorum Dei sunt; hymni, preces, vigiliæ, lacrymæ, divitiæ spirituales, mori mundo, vivere Christo, carnem macerare, animam à corporeis voluptatibus sublevare. Hæc ipsorum sunt: his parcas velim.

S. Augustinus Hipponensis in Africâ Episcopus in sermone primo de vitâ communi Clericorum:

Ego sum, qui statueram sicut nostis, nullum ordinare Clericum, nisi qui mecum vellet manere: ut si vellet discedere à proposito, rectè ei tollerem Clericatum, quia desereret *sancta Societatis*

tatis promissum ceptumque consortium. Ecce dico audite, qui societatem communis vitæ jam susceptam, quæ laudatur in Actibus Apostolorum; deserit, à voto suo cadit, & à professione sancta cadit. Observet judicem, scilicet Deum, non me.

S. Gregorius Magnus Papa Romanus, qui obiit anno Christi 604. Episcopum ordinatum Augustinum in Angliam missum, super ordinando Clero sic instituit, scribens ad ipsum desuper inquirentem.

Quia tua Fraternitas Monasterij regulis erudita seorsum, non debet fieri à Clericis suis in Ecclesia Anglorum, quæ auctore Deo nuper ad fidem perducta est, hanc debent instituire conversationem, quæ initio nascentis Ecclesiæ fuit patribus nostris, in quibus nullus eorum ex ijs quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.

*De Observantia Regule S. Augustini.*

Quòd Regula S. Augustini in Cathedralibus & Canonicalibus Ecclesiis in observantiâ fuerit, apparet ex eo, quòd Monasteria, ex ipsis Ecclesiis propagata, sub illius observantiâ ab olim vixisse constat, sub quâ usque hodie perseverant, dum etiam illa regula nil aliud continet, quàm quod ad communem vitam pacificè, & perseveranter conservandam ordinatum ex sacris Scripturis & Conciliis, consuetudinibusq; antiquis Ecclesiarum collectum fuit in formam libelli.

## CAPUT VI.

## De Monachorum primordiali vitæ statu.

**D**ionisius Philosophus in Areopago prædicante Apostolo Paulo conversus ad fidem in Christum, secutus est ipsum Paulum, ipsique adhæsit. Hic de moribus ac Hyerarchiâ Ecclesiæ primitivæ sui temporis librum scripsit, in quo enarratis, quæ erant de Episcoporum, Sacerdotum, ac aliorum ministrorum sacrorum ordine perficientium & ministrantium sacra mysteria dicenda, ponit ordines, qui initiantur sacris mysteriis dicens, triplex autem genus ordinum initiandorum deinceps exponendum est. Dicimus quidem ordines qui expiantur multitudines eas, quæ à sacris muneribus perfectionibusque arcetur. Horum trium unus quidem arcetur &c. medius autem ordo & qui spectat, sacrorumque nonnullorum pro suo captu in omni munditiâ est particeps, is est, qui Sacerdotibus illustrationis causâ est traditus &c. Hunc sancti populi ordinem appello. Summus verò omnium, qui *initiuntur* & *perficiuntur*, ordo est *sanctorum Monachorum*, cum & omni piaculo, tota vi, omnique actionum suarum sanctimoniâ expiatus sit & omnis mysterij, quod quidem ei fas sit aspicere, spectator particepsque sit factus. Hinc divini Præceptores nostri sanctis eos nominibus appellari voluerunt, alij Cultorum, alij Monachorum à primo Dei famulatu & cultu, individuâque ac singulari vitâ quippè quæ eos unum faciat sanctis rerum divinarum conjunctionibus ad divinam unionem, Deoque gratam perfectionem adipiscendam.

Chri-

Christus ipse Matth. 19. adolescentem quendam instruxit : Si vis ad vitam ingredi, serua mandata : Si vis perfectus esse, vade vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in coelo, & veni sequere me. Ubi & narratur Petrum dixisse ad Jesum : Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergò erit nobis? Cui respondit Dominus : Omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut patrem aut matrem, aut uxorem aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam habebit. Multum autem erunt primi novissimi, & novissimi primi.

## Extractus ex Conciliis de Monachis.

*Ex Concilio Agathensi sub Rege Alariro in Gallia.*

**C**AN. 18. Monachi vagantes ad officium Clericatus, nisi eis testimonium Abbas suus dederit, nec in Civitatibus, nec in Parochiis ordinentur. Monachum, nisi Abbatis sui permissu aut voluntate, ad alterum Monasterium commigrantem, nullus Abbas suscipere aut retinere præsumat, sed ubicunque fuerit Abbati suo autoritate Canonum revocetur. *Si necesse fuerit Clericum de Monachis ordinari* cum consensu & voluntate Abbatis præsumat Episcopus.

Canon. 56. Mancipia Monachis donata ab Abbate non licent manumitti. Injustum enim putamus ut *Monachis quotidianum rurale opus facientibus, servi eorum libertatis otio potiantur.*

Can. 58. Cellatas novas aut congregatiunculas Monachorum absquè notitiâ Episcopi prohibemus institui.

Ex

*Ex Calchedonensi Concilio sub Leone primo Pp.*

Canone 4. Qui verè & purè solitariam eligunt vitam, digni sunt convenienti honore. Quidam tamen Monachorum habitu utentes indifferenter per Civitates incedunt, nec non & Monasteria, & seipfos propriâ præsumptione commendant, &c. Eos qui per singulas civitates aut possessiones in monasteriis sunt, placet nobis Episcopo subjectos esse debere, & quieti operam dare, atque observare jejunia & orationes in locis, in quibus semel se Deo voverint, permanentes & nequè *communicare Ecclesiasticas neq; seculares aliquas atrectare actiones*, relinquentes propria Monasteria, nisi fortè jubeantur propter urgentes necessitates ab ipsius civitatis Episcopo.

Can. 8. Si noluerint subjacere proprio Episcopo siquidem fuerint Clerici secundum personarum ordinationem subjaceant ordinationibus Canonum. *Si verò Monachi seu Laici fuerint, communione priventur.*

*Ex Concilio Venetico sub Leone I. Pp.*

Num. 6. In *Monachis* par sententia formetur: quos si verborum increpatio non emendaverit, *etiam verberibus statuirus coërceri.*

*Ex Concilio Epaunensi tempore Gelasii I. Pp.*

Num. 7. Mancipia monasteriis donata ab Abbatibus utriusque sexus non liceat manumitti. Injustum enim putamus ut *Monachis quotidianum rurale opus facientibus, servi eorum libertatis usu potiantur.*

Ex



*Ex Epistolis S. Gregorii magni l. Pp. de Monachis.*

Lib. I. Epist. C. 40. Si quos à Clericatu in monasteriam conversationem venire contigerit, non liceat eis ad eandem vel aliam Ecclesiam, quarum quidem milites fuerunt, suâ voluntate denuò remeare: Nisi talis vitæ Monachus fuerit ut Episcopus, cui antè militaverat, Sacerdotio dignum præviderit, & ab eo debeat eligi & in loco quo judicaverit ordinari.

*Ex lib. 3. c. 11. ad Maximianum Episcopum Syracusanum.*

Presbyteros, Diaconos, cæterosquè cujuslibet ordinis Clericos, qui in ecclesiis militant, Abbates fieri per monasteria non permittas, sed aut omisâ Clericatus militiâ Monachis promoveantur ordinibus, aut si in Abbatis loco permanere decreverint, Clericatus nullatenus permittatur habere militiam. Satis enim incongruum est, si cum unum ex his pro suâ magnitudine diligenter quis non posset explere, ad utrumquè judicatur idoneus. Sicquè invicem & ecclesiasticus ordo vitæ monasticæ, & ecclesiasticis utilitatibus regula monachalis impediatur.

Lib. 5. Epist. c. 112. Urbicus Abbas Monasteriis S. Hermæ quod est Panormisum, petiit in monasterio Presbyterum, qui missarum solemniam inibi celebrare posset ordinari, scribit ergò Gregorius Victori Episcopo Panormitano: ut eum qui ad hoc ministerium de illâ congregatione electus fuerit, cujus vita, mores, & actio tanto posset ministerio convenire, valeat consecrari: quatenus nec ille pro hac causâ egredi, nec extraneum sibi ad peragendum sacrum opus cogatur adducere.

Lib.

40  
Lib. 7. Epist. c. 18. Mariano Episcopo Ravennati. Pariter  
custodiendum est, ut invito ejusdem monasterii Abbate ad ordi-  
nanda alia monasteria, aut ad Ordines vel Clericatus officium tolli  
exinde Monachi non debeant, ad Episcopum tamen nullus exin-  
de producat, nisi quem Abbas loci admonitus propriâ voluntate  
obtulerit, quisquis autem ex prædicto monasterio ad ecclesiasticum  
ordinem pervenerit ulterius illic, nec aliquam potestatem nec li-  
centiam habeat habitandi.

Lib. 8. c. 3. Fortunato Episcopo Neapolitano de monasterio  
Romani. Quoties missas sibi degentes illic Monachi fieri vo-  
luerint, à dilectione vestrà Presbyterum convenit sibi postulan-  
dum.

*Ex Concilio Toletano 4to sub Honorio I. Pp.*

Can. 48. Monachum, aut paterna devotio, aut propria profes-  
sio facit. Quidquid horum fuerit alligatum tenebit. Proinde his  
ad mundum revertendi intercludimus aditum, & omnes ad sæ-  
culum interdiciamus regressus.

Can. 49. Clerici qui Monachorum propositum appetunt,  
(quia meliorem vitam sequi cupiunt) liberos eis ab Episcopo in  
monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eo-  
rum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.

Can. 50. Nuntiatum est præsentis Concilio, quòd Monachi  
Episcopali imperio servili opere mancipientur, & jura monasterio-  
rum illicitâ præsumptione usurpentur: Ita ut penè ex cœnobio pos-  
sessio fiat: atquè illustris portio Christi ad ignominiam, servitu-  
temquè perveniat. Quapropter monemus eos qui Ecclesiis præfunt,  
ut ultrà talia non præsumant.

Sub

Sub Vitaliano Papa Anno 668. scribit Baronius de Theodoro Monacho viro 66. Annorum ætatis mittendo in Angliam, & consecrando Episcopo, quod sacris ordinibus ordinatus sit: Subdiaconus factus per quatuor menses expectavit, donec illi crines crescerent, ut Corona illi tonderi posset. Deindè ordinatus à Vitaliano Papa Episcopus in Britanniam missus est.

Idem Baronius circà Annum Christi 751. scribit, S. Bonifacium petiisse licentiam à Summo Pontifice fundandi Monasterium secundum Regulam S. Benedicti in loco Fuldâ pro Monachis, qui sine servis essent, & de operibus manuum viverent, absquè vino & absquè carnibus. In quo Monasterio post suam mortem possent manere illi quos ex Angliâ ad se advocavit.

Ex eodem Baronio Anno 755. apparet S. Bonifacium Moguntia descendentem in Frisiam assumpsisse tres Presbyteros & tres Diaconos, & quatuor Monachos ad comitatum viæ & laborum.



F

Ad

Sub



*Ad Lectorem.*

I.

**E**X his omnibus productis de Statu Clericorum & Monachorum colliget quisque Primò primordiale Clericorum Statum fuisse sub vitæ communis Canone ab Ecclesiâ constituto à principio : & observatum usque ad relaxationem communis vitæ, & inductam proprietatem, sæcularisationemquè Ecclesiasticorum. Undè Canonici simpliciter dicti retinent nomen illi, qui relaxato Canone ad Ecclesias vixerunt; & Canonici Regulares duplicato nomine dicti sunt, qui sub observantiâ communis vitæ manserunt.

II.

Deindè colliget ex his quisquè, quòd multi Sancti ob vitam solitariam in Monasteriis extrà Ecclesias Cathedrales aut Parochiales constitutis observatam, Monachi dicti reperiantur, qui tamen Clerici, Sacerdotes & Diaconi fuerunt, quales propriè veri Monachi non erant : Sic impropriè Monachi vulgò vocati, attamen veri Canonici Clerici sicut alij in Cathedralibus existentes.

III.

Præterea multos tales Sanctos Monachorum Catalogo indebitè adscriptos : sed & Ecclesias Cathedrales falsò adscriptas Monachismo : cum tamen Clericatûs officium ipsis annexum olim non per-

permiserit à Monachis Ecclesias illas administrari contra sacrorum Canonum præscriptum de Monachorum Statu Laicali, & diverso à Clericali ejus officio.

IV.

Demum Abbatis nomen etiam usitatum fuisse apud Clericos; ut non solum Pater Monachorum Abbas sit vocatus, sed etiam Clericorum in monasteriis viventium extrà Episcopales domos, ad quæ ex Cathedralibus Clerici recesserant ad vitam magis solitariam ad modum monastices.

V.

Hinc & colligendum, antiquiora Monasteria, ad quæ Episcopi subindè diverterunt in suo senio, laboribus & curis Episcopalibus impares, pleraquæ Clericorum monachicè viventium, & non propriè Monachorum fuisse, quorum multa postea per Episcopos Monachis Clericorum more per indulta summorum Pontificum celebrantibus sacra Missæ officia, & horas Canonicas psallentibus, divinumquæ officium Clero conformiter agentibus concessa fuerunt, & adhuc obtinentur, quam ob causam tamen primitivi

sancti Sacerdotes & Clerici eorundem monachico ordini adscribi non possunt.

Veritati Gloria.



EXTRACTUS VARIIS

LIBELLUS

Dignum Abbatem totam vitam suam in ecclesia  
ut non solum per Monachorum Abbas sit vocatus, sed etiam  
ad Clericis in monasteriis vitam suam extra Episcopatus  
tam ad quodam monasterio  
sub Apollonio communis vite Canone

V

Hinc & colligendum, antequam Monasteria, ad que Episcopi  
subinde dixerunt in suo tempore, libere & cum libertate  
CANONICORUM  
per Monachorum suam, quorum nulli potest per Episcopos  
Monasteria Clericorum more per abbas tantummodo  
et hanc in re velle omnia, & hanc Canonici  
deinde omnia Clero committit, quibus concessa  
sunt & abhuc obtinent, quam ob causam tantum  
Canonici in re velle omnia, & hanc Canonici  
pro facti sui Latere in re velle omnia, & hanc Canonici

Venerabilis



Typis Cornelli Egerii, hirsingianis proprii in officio  
M. DC. XCIX









26 307


ULB Halle 3  
007 377 894




VD 17

mt.







TUS VARIII,

Sive

ELLUS

De

Origine, ac Progressu  
icæ & Sacerdotalis Vitæ,  
omunis vitæ Canone,

vulgò dicitur


VICORUM  
LARIUM.

*Miss. Patris Generalis  
Congregationis Windesemensis*

*Ordinis Clypeo, ex sacris Scripturis  
extractus & compositus,*

*q. Authoritate*

us Coloniae.



sub Semilunio propè Tesserae Portam.  
C. XCIX.

